





13718,
DISPUTATIO JURIDICA,
DE

63
AFFINITATE

ET quæ eò pertinent,

QUAM

ANNUENTE DIVINA GRATIA
INDULTU

MAGNIFICI FCTORVM ORDINIS

IN

ALMA LEUCOREA,

SUB.

UMBONE

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, AC CONSULTISSIMI

DN. GODOFREDI NICOLAI

Schleenstein / J. U. D.

DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS, STUDIORUMq;
SUORUM PROMOTORIS, OMNI HONORIS
CULTU PROSEQVENDI.

Publicè discutiendam

proponit

63.
AUCTOR

JOACHIMUS WESENDORFFIUS,

Gryphishagiâ Pom.

IN AUDITORIO FCTORUM

Ad d. 15 Maji. ANNO O. R. c. b. l. c. LXXX.

WITTENBERGÆ,

Typis JOHANNIS WILCKII.


21
[Faint, illegible text]

[Faint, illegible text]

[Faint, illegible text]

22
[Faint, illegible text]





I. N. J.

Membrum I. exhibens

Affinitatis definitionem, divisionem, aliaq; ejusdem
generalia.

§. I.



Hematis nostri, quod in præsens paulispèr
pro ingenii tenuitate, deducere animus est, prima
cura erit circa *ὀνομασολογίαν*, quippe quæ secundū
sententiam Ulpiani negligenda non est, *l. 1. §. 11. ff. de
vent. in sp. l. 1. pr. de J. & J. l. 1. §. 1. de pactis*. Est au-
tem derivatio vocis affinitatis facillima, deducitur
enim à voce affinis, quæ composita est ab ad & finis:

Quasi accessio ad alterius (cognitionis) *fines l. 4. §. 3. de grad.* Scri-
benda hinc & legenda esset adfinitas, sed, ut evitetur *κακοφωνία*, le-
gitur affinitas, & quamvis interdum adhuc scribatur adfinitas, quod
utiq; frequentè fieri solet, non tamen ita legitur ob dictam ratio-
nem. Videtur itaq; vox finis hic in significatione propria usurpata;
alias enim, modò pro certa quantitate *l. 19. ff. de compens. l. 5. de dot.
collat*: modò pro terminis agrorum & limitibus *rubr. ff. fin. regund.*
modò pro alia Circumstantia accipitur *l. 124. ff. de V. S.*

§. 2. Vocatur affinitas lingvâ vernaculâ *Schwägerschaft*/
Berschwägerung: Et interdum sumitur pro ipso matrimonio vid:
Myns. ad §. 8. J. de nupt. n. 5. interdum *κατὰ χενσιῶς* pro quâdam
necessitudine *l. 8. ff. de condiçt. caus. dat. caus. non secut.* Hoc loco
autem accipimus pro tali vinculo, quo diversæ cognationes per
nuptias conjunguntur, *l. 4. §. 3. ff. de grad.*

§. 3. Hinc etiam eandem breviter ita describimus: *Affinitas
est conjunctio inter conjugem & conjugis cognatos per nuptias con-*

A 2

tracta.

eracta, d. l. vid. Dn. Struv. Synt. J. C. Exerc. 37. 0. 79. Myns. ad §. 6. J. de nupt: n. 1.

§. 4. Generis loco posuimus conjunctionem, per quam nihil aliud intellectum volumus, quam vinculum aliquod civile, quo cognati alterutrius conjugis alteri adstringuntur. Quod itidem denotat differentia addita, quæ desumpta est. (1) ab Objecto. Affinitate enim conjunguntur tantum alterutrius conjugis cognati cum altero conjugis, quæ ulterius non extenditur *Wesenb. ad §. 7. J. de nupt. & ad §. 8. eod.* Indè cognati unius conjugis, alterius cognatis affines non sunt, licet vulgò, sed malè, ita appellitentur v.g. Titii Patruelis vel consobrinus uxoris ejus Seje affinis est, & hujus Seje Patruelis vel consobrinus affinis est Titii: Isti verò Patruelis & Consobrini inter se minimè sunt affines *l. 4. §. 3. ff. de grad. c. 5. X. de consang. & affinit. vid. Pomeresch ad §. 6. de nupt: Myns. ad §. 8. ibid n. 3. (2) à causa efficiente, nempe nuptiis: Ad veram enim affinitatem veræ quoque requiruntur nuptiæ *l. 4. §. 3. ff. de grad.* Et hæc intercedit differentia inter Jus Civile & Canonicum; quod secundum illud non nisi ex justis nuptiis (nec obstat *l. 1. §. 3. ff. de concubin.* ubi dicitur, quod illa, quæ in concubinato Patroni fuerit, non rectè concumbat cum ejusdem filio, vel nepote. Rectè; sed non propter affinitatem, verum propter conjunctionem semel factam cum Patrono: Non enim censetur affinitas, neque habet ejusdem effectus *Accurs. ad l. 4. §. affines de grad. Myns. ad §. 6. n. 3.*) secundum hoc verò, ex qualibet conjunctione extra nuptias surgat affinitas, *C. discretionem & c. ex literis X. de eo, qui cognov. consangu. uxov. Arnoldi addit: ad Myns. §. 6. de nupt:**

§. 5. Proindè facilè decidendæ veniunt quæstiones, I. An affinitas ex sponsalibus oriatur? Videtur dicendum quod sic propter *l. 8. ff. de condict. caus. dat. caus. non secut:* ubi expressè prædicatur affinitas de sponso & sponfa it. propter *l. 6. & 8. ff. de grad.* ubi traditur, quod gener, nurus & focrus appellationem ex sponsalibus habeant. Jam verò constat, quod hæc omnia ex affinitate fluant. Verum his non obstantibus, firmo adhuc stat talo, quod non nisi ex nuptiis, secundum Jus civile, proveniat affinitas, per *supra c. l. 4. §. 3. ff. de grad.* Ad obstantes LL. verò respondemus, quod non nisi improprie ibi loquantur, vid. *Vinn ad §. 9. J. de nupt: verbis,* nam constat, nec sponsam filii, *Myns. ad eundem n. 2.* Dixi secundum Jus civile, ubi sponsalia nihil aliud

aliud sunt, quam conventio de futuro consensu præstando in matrimonio *l. 2. ff. de sponsal.* Dn. Struv. *Exerc. 29. o. 2.* Si vero secundum Jus Canonicum esset pugnandum, aliter fortè dicendum esset, nam juxta hoc sponsalia de præsentibus (duplicia enim docet sponsalia de præsentibus & de futuro, *c. 1. & penult. de spons. duor. junct. c. 2. in fine de consangu. & affinitat.*) quæ nihil aliud sunt, quam, ipsum matrimonium de jure Civili, quod solo consensu perficitur *Carpz. prax. Crim. p. 2. q. 56. n. 22.* Dn. Struv. *Exerc. 29. o. 10.*, indubitato inferunt affinitatem.

§. 6. Licet autem affinitas per sponsalia propriè non contrahatur, honestas tamen per eadem inducitur, quæ impedit matrimonium, *l. 12. §. 1. cum §. seq. de ritu nupt.* v. g. sponsæ meæ demortuæ sororem in matrimonium ducere non possum *vid. Ordinatio: matr. Elect: p. 3. §. wie nun 3. circa finem conf. Carpz. const: 24. p. 4. defin. 13.* quæ docet, matrimonium cum sorore defunctæ sponsæ, non nisi præviâ dispensatione esse admittendum. Vnde etiam nonnulli Dd. statuere non verentur quod quoad matrimonii impedimentum per sponsalia videatur contrahi affinitas, non verò quoad alia v. g. dicendum testimoniū, lucrandum ex statuto *vid. Wesenbec. ad §. 9. f. de nupt.* ad petendam bonorum possessionem *l. unic. unde vir & uxor* cui tamen sententiæ non simpliciter subscribimus.

§. 7. Altera quæstio, quæ ex prædictis fluere videtur, hæc est: An per scortationem contrahatur affinitas? videtur dicendum quod non: posuimus enim supra in definitione, quod affinitas contrahatur per nuptias; nuptiæ autem sunt legitima viri & mulieris conjunctio *§. 1. I. de patria pot.* scortationem penitus respiciens: ergo nec poterit inferre affinitatem. Verum contrarium defendimus cum Dn. *Carpz. p. 4. const. 21. defin. 10.* etiam quoad Jus Civile. Nam si ex coitu etiam illegitimo nascitur cognatio, cur non affinitas, concludit rectè *Vinn. ad §. 9. I. de nupt. allegans l. 4. C. de nupt.* quod *Berlichius* restringere videtur ad prohibitionem nuptiarum *conclus. 35. n. 28.* De jure Canonico res minus dubii habet *c. de illo 3. c. super eo, 5. & alibi X. de eo, qui cognov. consangu. uxoris sue, confer cap. 2. versu & insuper de consangu. & affinitat. X. in 7imo. & cap. 2. X. de consangu. & affin.* Quod a supra diximus per nuptias contrahi affinitatem, respeximus ad plenam

& perfectam affinitatem, quam intelligendam esse svadet l. 4. § 8. de grad. ubi dicitur neq; cognationem neq; affinitatem extra nuptias conjungi *Vinn. ad c. §. 9.*

§. 8. Alia planè & ab hac diversa est quæstio: An ex coitu incestuoso oriatur affinitas? Quod secundum Jus Civile negandum duco, ubi tenet regula fundamentalis; ubicunq; non potest consistere matrimonium, ibi nec affinitas erit l. 4. §. 8. de grad. & affin. vid. *Myns. ad sepè c. §. 6. I. de nupt. n. 3.* De jure tamen Can. & hoc affirmativè decidendum erit, adeò, utsi quis Privignam vel aliam ex uxoris suæ cognatis cognoverit, nec debitum possit petere ab uxore, utpote jam affine, nec, eâ mortuâ, cognitam in uxorem ducere valeat. *c. 1. X. de eo, qui cognov. consangu. uxor. c. quædam cum fratre cum c. seq. 32. quæst. 7.*

§. 9. Illud adhuc in quæstione esse videtur: (1) An concumbens cum Titii uxore, ejusdam fiat affinis? negativè hanc decidendam esse existimo quæstionem: Titius enim, nec est cognatus uxoris suæ, neq; affinis ejusdem; sed cum uxore constituit principium affinitatis, sicut unitas mathematicis non dicitur numerus, sed principium numeri. Jam verò posuimus supra, quod non nisi ii, qui uxoris sunt cognati, fiant affines concumbentis cum ea, qualis cum proprius maritus non sit, neq; affinis erit vocandus, qui cum uxore ejus rem habuit. Illud verò negandum ex præmissis non est, quod hujus concumbentis cum Titii uxore, cognati omnes fiant, uxoris illius affines & contra arg. *Can. quædam 19. 32. quæst. 7.* (2) An soluto matrimonio affinitas quoq; solvatur? negatur, durat enim ad huc iste respectus, qui fuit antea, etenim non possunt soluto matrimonio, inter se conjungi, qui antea, durante eo, impediabantur. Præterea omnia quoq; affinitatis privilegia adhuc durant, omnesq; effectus, qui ex eâ nascuntur, vid. *Carpz. in process. tit. 5. art. 6. n. 46. Adde Vinn. ad § 6. de nupt. n. 7. ante verba: quia utraq; filia loco.*

§. 10. Dividunt autem communiter affinitatem perindè ut cognationem in certas quasdam Classes, nempè Ascendentium & eorum, qui Parentum loco sunt §. 7. I. de nupt. l. 4. §. 4. 6. 7. ff. de grad. Descendentium sive eorum, qui sunt liberorum loco §. 6. I. de nupt. & deniq; collateralium. Hi vel sunt lineæ æqualis vel inæqualis. Ascendentium

dentium igitur nomine veniunt Socer & socrus, Noverca, Vitricus, Avi mei conjux & similes. Descendentium, gener & nurus, filiorum cæterorumq; conjuges. Collateralium, & quidem lineæ æqualis, fratrum sororumve conjuges; lineæ inæqualis, Frater & defunctæ uxoris sororis filia & sic porrò. De horum autem omnium tam computatione, quam prohibitione fufius erit agendum in feqq. 2. membris.

MEMB. II.

De

Affinitatis computatione, variisq; ejusdem generibus.

§. 1. **P**rogredimur igitur ad affinitatis computationem, ejusdemq; genera. Dicas: quomodo potest computari, cum ejusdem nulli dentur gradus? Respond. verum utiq; est, affinitatis gradus propriè nullos esse *l. 4. §. 5. ff. de grad. & affin.* (cui non obstat *l. 10. pr. eod.* ibi enim impropriè & analogicè gradus affinium dicuntur, ad similitudinem graduum cognatorum, *vid. Dn. Struv. in Resolut. Exerc. 37. th. 79.*) affines enim alii ex aliis non nascuntur vel generantur (quod propriè facit gradus) *vid. Wesenbec. ad rubr. I. de grad. cognat. Vinn. ad §. 6. I. de nupt. n. 1.* Abusivè tamen & largo modo loquendi, quosdam gradus possumus numerare *l. 10. pr. ff. de grad. Vinn. & Wesenbec. c. 11.* Ita enim Jus Pontificium gradus affinitatis ad exemplum cognationis numerat *Wesenbec. c. 1.* nempe quoad prohibitionem matrimonii. Nam quoad successionem de gradibus affinitatis disputare, frustraneum planè est, cum ex affinitate nullum Jus succedendi oriatur *l. 7. C. communia de success.*

§. 2. Computatio verò affinitatis ab Interpretibus communiter ita solet numerari. Quoto gradu cognati mariti sunt ipsi marito conjuncti jure cognationis sive consanguinitatis, eodè gradu conjunguntur uxori jure affinitatis, & vice versa: Quoto gradu cognati uxoris ipsi uxori jure cognationis sive consanguinitatis juncti sunt, eodem gradu conjungi intelliguntur Marito jure affinitatis. *Can. equaliter 35. quæst. 2. & 3. Vinn. ad sepe c. §. 6. n. 1. Jure canonico,* (hoc enim in materiis matrimonialibus præcipuè apud nos attenditur, non quidem ex præcepto & jussu Pontificis; sed ex liberâ voluntate ac usu *vid. Dn. Struv.*

Struv. Synt. J. C. Exerc. 2. tb. 39.) quia in linea recta, uxor mea uno gradu distat à Patre suo, ab avo duobus, ego quoque à focero uno gradu, à profocero duobus distabo *Vinn. d. l. n. 3.* In linea transversâ, quoniam meus frater in primo, & fratris filius in secundo consanguinitatis gradu conjunctus mihi, ita etiam ejus uxor in primo, & uxor filii fratris in secundo affinitatis gradu juncta mihi est.

§. 3. Genera affinitatis veteres Canones numerant tria; & quidem *PRIMUM* est, quod per personam unam conjunctam, mediante copulâ contrahitur v. g. Frater meus ducit uxorem Mariam: Hæc mihi & omnibus consanguineis fratris mei in primo genere affinitatis juncta est. *SECUNDUM*, quod mediantibus duabus personis contrahitur, sic fratris mei uxor Maria, quæ mihi primo affinitatis genere juncta, si fratre mortuo, nubat Sempronio, tunc iste Sempronius mihi, aliisque defuncti fratris consanguineis in secundo affinitatis genere est. *TERTIUM* denique est, quod mediantibus tribus personis contrahitur v. g. Fratris mei viduâ Mariâ mortuâ, Sempronius ducit Bertam, quæ mihi tunc in tertio genere jungitur.

§. 4. Sed secundum & tertium affinitatis genus, tanquam absque ratione & temerè excogitatum, posteriores Pontifices non sine causa sustulerunt. *vid. cap. non debet 8. X. de consanguinitate & affinitate.* Etenim, qui uxori non sunt consanguinei, non possunt dici Marito affines & contra. Hinc nihil obstat, quo minus possim ducere uxorem eam, quæ fratri uxoris meæ quondam nupta fuit. *d. c. non debet, ibique Gloss. de consangu. & affinit.* Neque quicquam in contrarium facit *l. 15. de ritu nupt.* ubi Vitricus prohibetur uxorem ducere Privigni: Hoc enim non fit tam propter affinitatem, quam propter honestatem & pudorem naturalem, quo non possum uxorem ducere ejus, qui mihi filius quondam fuit ob matrem, quam in matrimonio habui, & ideo respectum parentum atque liberorum involvit *Vinn. c. §. 6. l. de nupt. n. 2.* Quo casu & Praxis secundum affinitatis genus attendit teste *Carpz. Const. 24. p. 4. def. 10. in fine.*

§. 5. Annotandæ hinc præterea quædam regulæ ad genera affinitatis spectantes (1) Persona addita personæ per carnis copulam mutat quidem genus attinentiæ, non verò gradum, v. g. Maria uxor fratris mutat genus attinentiæ, hoc est, alio genere mihi juncta est affinis

nis

nis nempè mea est, sed non mutat gradum, ut in alio sc. gradu mihi sit, quam frater meus, qui in primo gradu meus est consanguineus. Quod coincidit cum supra tradita regula: Quoto gradu quis est marito conjunctus in Consanguinitate, eodem gradu est conjunctus uxori ejus in affinitate. (2) Non mutato sexu non mutatur genus affinitatis, licet plures interverint nuptiæ; ut in dato exemplo maneamus, si frater meus defunctâ Mariâ ducat in matrimonium Sejam, omnes Sejæ Consanguinei primo affinitatis genere mihi juncti sunt, perinde ut antea Mariæ, quamvis secundæ intercedant nuptiæ vid. Pomeresch. ad §. 6. l. de nupt.

MEMB. III.

De

is quiratione affinitatis jungi matrimonio prohibentur.

§. 1. **U**T verò de prohibitione eorum, qui ratione affinitatis conjungi prohibentur, satius constet, rem omnem certis quibusdam includamus regulis. In linea itaq; recta observetur talis: Quicumq; in numero Parentum & liberorum sunt, vel etiam respectum talem habent, conjungi matrimonio non possunt l. nuptiæ 53. de nupt. ideoq; nec focer nurum, nec focrum gener nec vitricus privignam, nec privignus Novercam vel alius patru viduam ducere potest l. 14. §. ult. & l. nemini 17. C. eod. Sic judas corruptam errore nurum eam amplius non attigit, sentiens haud obscure, vetitum esse incestum Gen. 38. vers. 26. Cur vero matrimonium inter personas in linea rectâ prohibeatur, Hugo Grotius in aureo suo lib. de J. B. & P. l. 2. c. 5. n. 12. talem reddit rationem: quod maritus, qui superior est lege matrimonii, eam reverentiam non possit prestare matri, quam natura exigit; nec patri filia, quia, licet inferior sit matrimonio, ipsum tamen matrimonium talem inducit societatem, quæ illius necessitudinis reverentiam excludit, cui insine subnectit, insitam fugam quandam esse ipsis affectibus à commixtione cum parentibus. Et Henriquez. quid magis indecens, quam sobolem rursus misceri cum eo, à quo originem ducit apud

B

Dn.

Dn. Struv. Exerc. 29. th. 47. Subtiliori stylo rem expedire videtur Dn. Beckman Medit. polit. dissertat 7. th. 13.

§. 2. In linea transversa de Jure Can. hæc notetur : Quicumque sibi invicem sunt intra quartum gradum, matrimonium contrahere non possunt arg. *supracit. cap. non debet X. de consangu. & affin. junct. c. 1. eod.* Jure civili, qui respectum fratris & sororis inferunt, vel aliàs parentum loco habentur. Sic nec frater uxorem defuncti fratris ducere, nec vicissim soror marito sororis nubere potest, nec maritus cum sorore uxoris, aut uxor cum fratre mariti conjungi queunt, quoniam affinitate sibi invicem facti sunt fratres & sorores *l. 5. l. penult. & ult. C. de incest. & inutil. nupt.* quæ tamen prohibitio de primo tantum genere affinitatis est intelligenda, in secundo enim & tertio genere matrimonium, quoad hos affines collaterales liberorum & Parentum respectum non habentes *cap. non debet 8. X. de consangu. & affin.* non prohibetur. Diximus enim supra, quod hæc posteriora duo genera non adeo attendantur hodiè. Quamvis non negandum, quod quibusdam in locis, & tales personæ matrimonio jungi prohibeantur *vid. Dn. Struv. Exerc. 29. th. 45. ubi ad testimonium provocat. Dn. Joh. Beckstad. collat. jur. connub. : Dn. Carpz. in Jurisprud. consist.* Alias jure divino in linea transversa inæquali à Deo per Moysen *Lev. 18. v. 14.* quoad secundum gradum inclusivè affines conjungi expressè prohibentur v. g. fratris filius cum uxore defuncti patruum : sororis filius cum uxore defuncti avunculi : patruus aut avunculus cum uxore filii fratris vel sororis : amita vel matertera cum marito filiae fratris vel sororis ; & ex eadem ratione maritus cum amita aut matertera uxoris suæ, vel cum fratris sororisve uxoris filia *Vinn. ad §. 6. I. de nupt. n. 5.* sub quibus similes personas eundem respectum habentes, licet ulterioris gradus sint, comprehendi, non dubitamus, nobiscum sentiente eodem *Vinn. ad §. 3. n. 1. d. tit.*

§. 3. Sunt verò hæc prohibitiones etiam pleræquæ, quæ affines spectant, morales & perpetui juris, quod delucidè probatur exindè, quia aliàs Deus gentes ob talia facta cum positis interdictis pugnancia non punivisset, nisi in quibusdã peccassent contra Jus naturæ. At, inquit, si lex de non ducenda fratria *Lev. 18. v. 16.* perpetuam & naturalem causam prohibitionis habet, undè fit, quod fratria certo casu duci jubeatur

beatatur? ut *Deut. 25. v. 5.* cum tamen Jus naturale sit immutabile §. 11.
J. de J. N. G. & C. Respond. duplex Dd. docere Jus naturale, unum
quod absolute in se & essentia sua, quid justum, quid æquum sit, con-
tinet v. g. Parentes esse honorandos, Deum esse colendum, & id
immutabile dicitur. Alterum, quod æquitatem & justitiam continet
in rerum naturâ, sola Dei voluntate expressam, ut â Creatura, natu-
ræ ductu approbaretur: hoc verò uti â legislatoris voluntate depen-
det, ita & per eam aliquando mutari potest, ut fit. *c. l. deut. 25. v. 5.* ubi
summus Legislator de isto jure dispensat. Posteriori igitur modo conce-
dimus, priori vero negamus vid. Vinn. ad §. 6. l. de nupt. n. 6. Alii distin-
guunt, quod quidem eodem recidere videtur, inter jus naturale **PO-**
SITIVUM, quod immutabile esse dicunt, & **NEGATIVUM**,
quod mutabilitati obnoxium putant vid. *Beyer. in Just. reconciliat.*
ad §. 12. l. de rer. divis. Addunt Theologi, factum id esse ideo, ut in
nomen primogeniti conservaretur familia, & primogenitura Chri-
sti nunquam inter mortura conferetur *August. quest. 61. in Lev.* Con-
cludimus proinde, LL. â Deo latis, & de conjugio disponentes, esse
morales, homines constringere, non secus, ac Decalogus ipsos obli-
gat. Quamvis testante *Vinnio c. l. n. 7.* nullam prohibitionem in trans-
versa lineâ, veteres Romani videantur habuisse.

§. 4. Antequam ulterius progredimur, disquirendum prius vide-
tur, annon dispensatio in hisce prohibitis gradibus sit admittenda?
Et respondetur, quod sic, non tamen indifferenter: nam illi, qui ju-
re divino prohibentur matrimonio copulari, nullam penitus possunt
sperare dispensationem; Jus enim divinum ab homine nequâ remitti
nequâ relaxari potest, hominumquâ dispensationes contra Jus divinum
& mandatum Dei, nec quicquam valent. *Unde Pontifex, qui inscribi-*
tur Plus IV. tantopere cavet de gradibus affinitatis eorum, qui dispen-
sationem impetraturi sunt, summa sub fide sibi exhibendis, aliâs proce-
dentes dispensationes nullas pronuncians c. 1. de consang. & affin. 7. de-
cretal. Nec officit. cap. ult. X. de divort. ubi dispensatio videtur proce-
dere enormis. Radicata enim est (1) in dispositione divina [2] infirmi-
tate gentis (3) militat & pro matrimonio conservando, non contra-
hendo arg. rex.

§. 5. Sed alia est ratio juris humani, quod â Magistratu superiori
ex justâ causa relaxari potest, quanquam id prudenter fieri debet, ne
dispen-

dispensatio fiat dissipatio. Potest itaq; secundum ordinationem Ecclesiasticam *sub. rit.* von bey den Consistoriis zu Wittenberg und Leipzig n. 8. in def. dispensari in gradu secundo lineæ æqualis, & gradu tertio lineæ inæqualis *vid. Carpz. Jurisprud. for. const. Elect. 24. p. 4. def. 14. Dn. Struv. Exerc. 29. th. 49.* Sed quid, si nuptiæ prohibitæ, illicitè fuerint contractæ, an dissolvendæ? *Dn. Struv. c. l. th. 50.* distingvit. inter nuptias nefarias & incestas, illas vocat, quæ contractæ sunt inter personas, quæ Jure naturali: Has verò quæ J. G. & C. matrimonio jungi prohibentur. Nuptias nefarias simpliciter dissolvendas esse docet: Circa incestas & quidem J. G. iterum distingvit, utrum ita conjuncti ipsi petant separationem, & tunc faciendam eam esse tradit; An verò nolint separari, quo casu matrimonium tolerandum existimat præsertim si copula accesserit. Incestas autem nuptias J. C. dispensationem admittere simul adjiciens.

MEMB. IV.

Quædam tradit, quæ ratione affinitatis injure occurrunt

§. I. **R**estat, ut etiam ea, quæ hinc indè injure affinitatis ratione occurrunt, brevibus consideremus: pro faciliori autem decidendi modo proponamus ea certis quibusdam quæstionibus. Quæritur proinde (1) An affinis contra affinem testimonium ferens, plenam faciat probationem? certe si ex solâ habilitate testium, eorumq; legitimatione quæstio decidenda esset, in affirmantiû castra transeundû foret; Testatur n. *Carpz. in Process. tit. 13. art. 6. n. 44. & 46.* quod affines tanquã testes illegitimi & inhabiles nequeant rejici, quia nullibi legatur prohibitum, ut affinis affini sit testis, jam verò permissum censetur, quod prohibitum non est *arg. l. 43. §. 1. ff. de procurat. junct. l. 13. ff. de testibus* Verum cum à sola habilitate ad plenam probationem non sit argumentandum, positam negamus quæstionem, propter suspicionem, quam vinculum illud, quod inter eos intercessit, infert. In quantum autem affinis contra affinem, vel etiam pro affine testi-

moni

monium dicens, probet, id verò simpliciter definiri nequit: Sed inspicienda prius proximitas affinitatis; quanto proximior enim est, tanto magis suspectum habetur ejus testimonium, licet interdum fallat regula in effectu. Res itaq; tota arbitrio judicis optimè committitur, qui pro ratione Circumstantiarum de hac re judicabit. Hoc verò ut melius fiat, receptum est, ut interrogatoriis generalibus inseratur & talis articulus: *Wie nahe zeuge Klägern oder beflagten mit Blutsfreundschaft oder Schwäger schafft verwand sey?* Non tamen destituitur hoc testimonium imperfectum suis adminiculis, sed modò ex numero testium, modò ex alterius testis magna auctoritate suppletur *arg. l. 6. §. 1 ff. de edendo vide Carpz. c. 1.*

§. 2. Postquam diximus, affines esse testes habiles non incongruè quaeritur (2) An etiam inviti possint cogi ad testimonium ferendum? licet primo intuitu videatur quod sic, siquidem Reipubl. interest, ut veritas manifesta fiat, & si causa est criminalis, ne delicta manent impunita: Jam verò, si non possunt cogi, & veritas occultatur, & delicta tanquam non probata pro merito puniri nequeunt. Deindè Magistratus potestas flocci habita videtur, dum est instar campanæ sine pistillo. Nihilominus tamen, his non obstantibus, negativam amplectimur sententiam, illamq; probare conamur *ex l. 4. ff. de testibus, ubi talia extant: L. Julia & Papia judiciorum publicorum cavetur, ne in vito denunciatur, ut testimonium litis dicat, adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrino sobrinaq; natum, eos ve, qui priori gradu sunt.* Et quamvis lex loqui videatur saltem in causa criminali (obverba publicorum judiciorum) attamen propter Identitatis rationem ad causas civiles quoq; referunt Carpz. *c. l. n. 58. & Prosp. Farin. de testibus quest: 53. n. 5.* Ad rationes verò dubitandi respondemus, quod Reipubl. quidem intersit, ut veritas manifestetur, sed non nisi per media legitima, quae non est testimonium affinis coactum. Sic nec delicta manent indè impunita, laborandum est, ut alio modo probentur, hic enim à jure rejicitur. Neq; Magistratus hoc modo parvi aestimatur: Siquidem, quod fit juris concessione, non potest dici in contemptum Magistratus factum, quippe qui ejusdem debet esse executor *arg. l. 2. §. 1. ff. si quis in Jus vocat. non iiverit.*

A 3

S. j.

§. 3. Quæritur (3) An affinis pro affine agitaturus in iudicio absq; mandato sub præstatione rati, admittendus sit? licet quidem alias nemo in iudicio sine mandato admittatur, & si quid absq; eo factum, id nullius momenti habeatur, ipseq; Procurator certâ multetur poenâ *vid. Carpz in process. tit. 5. art. 1. & 5.* Attamen secus res se habet cum affine, qui, si de rato caveat, absq; mandato pro affine acturus admittitur, omniaq; quæ agit, firma sunt & habentur idem *tit. 6. art. 6. n. 42.* Quousq; autem hoc Privilegium inter affines se extendat, anceps est Dd. disceptatio. De praxi tamen saxonica testatur *Carpz. tit. 5. art. 6. n. 42* quod non nisi gener pro socero, & socer pro genero ad cavendum de rato admittantur, cæteris omnibus exclusis, per sanctionem *Elect. in Ord. Process. judic. tit. 7. §. wir lassen aber verb. der Schwäher vor seinem Eydam oder Tochtermann/ undt der Eidam oder Tochtermann vor seinem Schwäher &c.* Et hoc privilegium durat etiam post mortem uxoris, licet dissentiat Berlich: diximus enim in membro primo, quod affinitas per mortem non dissolvatur, sed honor & respectus adhuc duret, quod nunc suppetit decidendi rationem.

§. 4. Quæ hætenus dicta sunt, videntur concernere talia, quæ infavorem affinium; videamus etiam pauca, quæ in eorundem odium injure introducta sunt. Etenim occisores affines gravius puniuntur, quam illi, qui simplex committunt homicidium. Quænam vero poena hic præcipuè locum habeat, de eo varii variè sentiunt ac disceptant Dd. Et quoniam hujus delicti *in l. 1. ff. ad L. Pompej. de parricid.* quoq; fit mentio, statuunt non nulli, poenam ejus esse culei *l. 9. eod.* quæ sententia etiam non adeo absurda, si secundum Jus civile esset pugnandum, uti quidem rectè monuit Dn. Præses, Patronus ac studiorum meorum Promotor ætatè venerandus, in collegio privato ad *Constit. Crim. Carol. V. art. 131.* Alii verò sufficere putant nudam poenam gladii, pro se allegantes *d. l. 1.* Verum enim verò utramq; sententiam *Carpz. rejicit Praxi Crim. q. 13. n. 5.* Illam, ut nimis rigorosam, hanc ut insufficientem. Probat igitur poenam gladii cum quodam augmento v. g. cum protractione ad locum supplicii, vel rotæ impositione *ibid. n. 6.* quæ sententia etiam convenit *Constit. Elect. 3. §. f. p. 4. quamvide sis.* Rem hanc illustrat præjudicio *ad d. Constit. defn.*

11. So möchte er von wegen der an selnem Schwager N. N. begangen-
nen/unde bekanten Ermordung zu Seynstatt geschleiffte / unde als
den mit dem Schwerdt vom leben zum Tode gestraffet werden W. N.
W. Hæc sunt, L. B. quæ de hac materia pro ingenii modulo impræ-
sentiarum differere volui, plura eqvidem fuissent, quæ huic accom-
modari potuissent; cum verò animus non fuerit integrum con-
gerere tractatum, sed potius brevitati, quantum fieri po-
tuit, studere, hic abrumpo, sufficiat, si non omnia,
attamen quædam dixisse.

Soli Deo Gloria!




Ad
Clarissimum DN. WESENDORFFIUM,
Amicum atq; Fautorem perdilectum.

Sifas est, mi Wesendorfi, laudes illorum decantare publice, qui brevi spacio juri dederunt operam; dubitare licet, num pagellarum angustia **TUAS** capere possit. Ver satus enim es in e astris Themidos non per aliquot septimanas vel menses, sed duos & quod excedit annos sedulo. Non producam labores apud alios **Dd.** exantlatos, illorum saltem, & quidem per indicem, mentionem faciam, quorum ipse dux fui & testis sum: Quippe vix per integrum biennium excesit dies, quò non bis scholis meis interfuisses. Prima cura erat unà cum fontibus Justinianeis, genuina rerum politicarum principia conjungere, sine quibus, ceu gubernaculo, in vastissimo juris pelago, tuto navigare non licet. Positis his fundamentis, animus ad altiora tendebat, sc. in Pandectarum opere secuti sumus vestigia **Magnif. DN. STRUVII**, junctis meridianis horis Schnobelianis Exercitationibus Feudalibus. Quibus confectis, cum se offerret numerus Collegium ad res criminales, ductu **Imp. Caroli V.** exhibendas, appetentium, nec illis deesse voluisti, tanta quidem alacritate, ut te per horam abfuisse, vix, meminerim. Illud quoq; in super habendum non est, quod intra privatos parietes multoties tam Respondentis, quam opponentis partes mascule sustinueris. Hæc tua industria te amplius latitare non sinit, dum instar flammæ oppressæ egregiò specimine, publice exhibendo, prorumpit. Quod opus, cum ipsum commendet artificem, ulteriori commendatione opus non habes, Vale. **dab. 5. May.**
A. O. R. M. DC. LXXX.

PRÆSES.





ULB Halle
003 633 195


3




TA → OL

DM







ATIO JURIDICA,
DE

UNITATE

e eò pertinent,

QUAM
E DIVINA GRATIA
INDULTU

CTORVM ORDINIS

IN
LEUCOREA,
SUB.

UMBONE
APLISSIMI, AC CONSULTISSIMI

FREDINICOLAI

nstein/J. U. D.

RECEPTORIS, STUDIORUMq;
OTORIS, OMNI HONORIS
PROSEQVENDI.

eè discutiendam

proponit
AUCTOR

WESENDORFFIUS,

hishagiâ Pom.

ORIO FCTORUM

NNO O. R. clb lbc LXXX.



TENBERGÆ.
HANNIS WILCKII.

63

1680

6

63.

70

